SANITATIS SEMITA.

AVTHORE

IOANNE MAKLVIREO. M. D.

CVM TRACTATV DE FEBRE

PESTILENTE PRÆFIXO.



EDINBVRGI

Excudebat Iohannes Wreittoun. 1630.

ILLUSTRISSIMIS

AC NOBILISSIMIS D. D.

CANCELLARIO,

D. Præsid. aliisq; D. Senatus, utriusq;
Consiliariis, Regni moderatori-
bus æquissimis, S.

IN humana corporis fabrica summus ille opifex. P. C. mirabilem potentiam, incredibilem sapientiam, infinitam bonitatem apertè declaravit: potentiam in prima formatione, sapientiam in structura, bonitatem in usu, actione, & consensu partiũ: Ex nihilo enim fere guttulis scilicet aliquot seminis, & sanguinis, tam diversi generis particulas, ossa cartilagines, vincula, membranas, villos, venas, arterias, nervos, carnes potentia formavit; tum mirabili artificio sapienter disposuit, figuram, situm, magnitudinem, numerum, structuram, substantiam ut cuiq; conveniebat tribuens, ossibus seu columnis totius corporis molem sustentans, cartilaginibus ferè omnes incrustans vinculis omnia nectens, membranis singula vestiens, nervis, ceu funiculis membrorũ validissimas moles trahens, venis tanquam rivis universum corpus irrigans arteriis velut tubis & aquæ ductibus singulas partes spumante sanguine & vitali perfundens spiritu, carnibus spatia vacua explens, omniaq; colligans. Tum nudum in lucem

edi-

editum tribus armavit præsidiis, quæ cæteris animantibus denegavit, ratione scilicet ad inventionem, sermone ad auxilium, manibus ad perfectionem: ratio manus est intellectus, rationis oratio, orationis; manus. Manus jussa faciunt, jussa obediunt rationi, ratio vis intellectus est, cùm talem, tantumq́ fecerit hominem summus omnium Creator saluti tam excellentis, ac prope divinæ creaturæ omnes omni curâ providere tenemur, præsertim illi quibus hoc ex officio incumbit, hisce ego inductus opusculum hoc edidi, nihil aliud ambiens, quam ut in patriam pietas omnibusq́ gratificandi studium singulare fidissime declaratur. Hoc in vestro numine P. C. divulgandum putavi: Est enim mihi hoc de vestra prudentia persuasissimum, vos literarum monumenta, & Musarum præconia pluris facere, quam incisa notis marmora publicis. Interea vestra consilia, actiones, & deliberationes, quas singulari prudentia, cura, ac contentione, pro pietatis conservatione, cultura studiorum, & civium salute, suscipitis, ac sustinetis; à DEO Opt. Max. benignè fortunari, atq́ universos, salvos, & florentes vivere, & valere ex animo optimo.

AD LIBRVM.

Liberior si quis Censor te raserit ungue,
    Grates inflexo poplite lætus age.
Sin quis amicus erit, qui plus laudaverit æquo,
    Dic quod nullius laudis amore tumes.

Io. Makluireus.



SANITATIS SEMITA,

AVTHORE

IOANNE MAKLVIREO. D. M.

cum tractatu de febre pesti-
lente præfixo.



MVtationes temporum morbos gignunt, vt ait *Hipp.* Nam qualis aer, talis spiritus: quales spiritus, tales humores, & humores quales, tales partes solidæ: Aer autem est purus vel impurus, & contagiosus: & quemadmodum purus aer saluti confert; ita impurus morbos perniciosos generat, vt lippitudines, tusses, raucedines, anginas, grauedines, variaque ac perniciosa febrium genera, præsertim vero illa, in quibus maculosa cutis apparet, cum totius corporis sudore, à quo febrium genere plurimi mortales perditi sunt.

Cum

Cum verò morborum omnium febres hæ sint maxime læthales, de earum natura, caussis ac signis nonnulla subtexemus.

Ex morbis, qui humano generi contingunt, aliqui sunt communes, seu populares, aliter a Græcis ἐπιδήμιοι dicti: alii singulorum hominum proprii, quos Græci σποραδικοὺς, sparsos vel seminatos vocant: popularium morborum quidam sunt civitati alicui peculiares, hoc genus morbi ἐνδήμιον Græci vocant: alii sine discrimine cunctas regiones peragrant, qui nomine generis ἐπιδήμιοι appellantur: rursum isti Epidemii, si mortales jugulant pestiferi dicuntur, atque hæc pestilentia, & pestilens febris vocatur.

Nonnunquam pestilens febris sine pestilentia reperitur, vt docet *Gal.* in 3. de præsag. ex pulsibus, & 3. de morb. popularibus sect. 3. Hoc autem interest judicio nostro, inter pestilentiam & pestilentem febrim, quod illa plures, enecat, magisque contagiosa est,& in inguinibus, aut sub axillis fit semper, nonnunquam post aures carbunculi exoriuntur: in hac verò, in toto corpore, sed maximè in dorso pustulæ quædam erumpunt, quæ in genere exanthemata vocantur, sive etiam maculæ pulicum punctionibus similes: interdum verò, & sine his pestifera febris exoritur, quæ per alia Symptomata paulo post referenda dignoscitur: hæc morborum distinctio desumitur ex *Hipp.* & *Gal.* in primo de

de ratione victus ſententia nona, in 2. de locis, aere & aqua, in 3. de Epid. ſect. 3. ſenten. 20. & 28.

Febrium peſtilentialium cauſa, alia externa, alia interna: interna & proxima cauſa eſt humoris agitatio quæ eos excitat, & de potentia in actum reducit. Nam natura humores ſuis locis quieſcentes facilius regit, quam agitatos & extra ſuos limites digreſſos: externa cauſa peſtilentis febris, vt plurimum eſt aer: aerem non hic purum & elementarem intelligere oportet: Nam vix putredinem admittit, ſed mixtum ex vero aere & partibus aqueis vaporoſis, & terreis fumoſis, & igneis.

Aer autem mixtus vel proprio & innato, vel alieno & adventitio vititio eſt contagioſus, proprio vitio, præſertim cum intemperie callida humida tenetur.

Hoc *Gal.* admonuit cap. 4. de temperamentis, dum ait calidam Cœli conſtitutionem peſſimam eſſe, & peſtilentem: Item 1. de differentiis febrium hoc nobis inſinuavit, dum docet methodum, qua corpora à peſtilente febre tuta redderemus.

Idem docet in morbis vulgaribus conſtitutionem ſcilicet calidam, humidam, morbos ex putredine creare, & in 1. Epid. ſect. 1. Adventitio autem contaminari docet, 11. Meth. cap. 5. inquiens, perſpicuum verò eſt, & aeris

ſub

substantiæ, quæ per anhelitum ducitur curam esse habendam, vt nimirum sit optimè temperata, & à quolibet ipsam inquinate. quam mundissimu; neque ex metallis, nec fornacibus, aut profundis canitatibus aliquam mixtionem suscipiens, neque ex leguminum aut olerum animaliumve, aut alius cujusslibet rei putredine, neque halitus ex stagnis aut paludibus aut fluviis admittens: Hoc idem *Avicenna* fen. 3. 1. canon innuit. *Ætius* autem lib. 5. cap. 94 docet signa, si aeris vitio vel aliunde contingat: si inquit aeris vitio hi morbi proveniunt, primum aves hoc malo afficiuntur; sin vero ob terrarum exhalationem, quadrupedum erit prima calamitas: *Arist.* 1. probl. ait gravem morbosumque annum fore, cum copia ranarum processerit, nam pluviam humidamque tempestatem denotat.

Possunt etiam vitiosæ aquæ pestilentiam causare, id in exercitibus frequenter accidisse historiæ prodidere: tum etiam cibus, & alimentum impurum malos humores in corpore procreant, ac ita putredini obnoxia faciunt.

Syderum autem occultos influxus hos morbos causare, non videntur *Hipp. Galen.* ac *Arist.* concedere, sed tantummodo aerem hunc à Cœlo per lumen & motum, ad frigidum, calidum, humidum, & siccum immutari: Atque hisce primis qualitatibus intervenientibus reliquos deinde omnes effectus produci: Ab *Hipp.* multis

tis quidem in locis hoc haberi poteſt, ſed præcipue in lib. de aere, locis, & aquis: ab *Ariſt.* lib. 2. de Cœlo, & 1. ſect probl. 11. *Galen.* vero omnibus in locis, vbi de aeris immutatione aut corruptione, non ratione exhalationum loquitur, ſed ſemper primarum qualitatum vitio evenire contendit, nullam qualitatem occultam in ipſo merito ſtellarum agnoſcens, vt omnibus patere poteſt, ejus explanationes legentibus, in *Aphir.* in lib. de natura humana, &; in lib. de morbis popul. Oſtenditque *Hipp.* nihil aliud ſignificare per divinum, quam ambientis nos aeris conſtitutionem. Verum tamen cum *Avicenna*, & peritiſſimi Aſtrologi hos aſtrorum influxus conceſſerint, non omnino videntur rejiciendi.

Febris peſtilentis materia eſt vel ſpiritus, vel humores, ſpiritus ob ſiccitatem vix corrumpuntur, cum referant naturam ignis, qui humiditatem omnem putredinis materiam abſumit, aliquam tamen contagionem in principio aſſumunt, ſed ſtatim cam humoribus communicant, ſi a ſolis ſpiritibus infectis tantum eſſet, citius necaret, ac in excrementa tanta non ſolveretur, ſed cum ſudore tantum, vt aliæ ephemeræ.

Humores ſunt vel bilis, vel melancholia aduſta: bilem deſignant ſitis inexhauſta, bilis vomitus, lingua arida, incendium maximum circa regionem cordis, & ventriculi, tum delirium, cum

ex-

excrementis biliosis.

Melancholiam demonstrant tum causæ generantes, vt mæror, pavor, præsertim tempore belli, tum ratio victus impura, in annonæ caritate, quo tempore coguntur homines vesci radicibus, fabis, leguminibus, aliisque id genus Melancholiam procreantibus: Hinc vulgare illud μετα λιμον λοιμος, hisce adde signa concomitantria, vt Maniam cum studio, stigmata nigra vndique erumpentia, cordis palpitrationem, tum carbunculum, qui cum pruritu, rubore, ardore vehementi oritur, quo sensim increscente, pars vritur crustosumque vlcus, quasi candente ferro inducitur, crassum, retoridumque sanguinem ostendens.

Notæ pestilentis febris inveniuntur apud *Galenum*, in tertio de præsag. ex pulsibus, & sexto de morbis popul. sect. 1 sentent. 3. & apud *Ætium*, lib. 5, cap. 92, & *Ægenetam*, lib. 2. cap. 35. & apud *Avicen*. fen. 41. tract. 4. cap. 1. quæ variantur pro varia corporis humorumque constitutione, ita vt vix videas duos eadem contagione inquinatos, similibus premi symptomatis. Quosdam cruciat capitis dolor cum conjuncta gravitate, & in somnum propensione: alios vero vigiliæ molestæ, bilis vomitus, frequens jactatio, delirium; alii, nec siti vehemente, nec inappetentia, nec magno incendio teneri videntur, ita ægri sine sensu doloris inopinatim discedunt, adeo vt à principio ob

sui

ſui levitatem clariſſimis medicis febres hæ impoſuerint: hoſce ſitis inexhauſta premit cum inappetentia, tum algore externo, & ardore interno; cum febre ardente: Hiſce puſtulæ erumpunt, & exanthemata, aliis carbunculi, & bubones, pulſus quibuſdam frequens ac vehemens, nonnullis imbecillis, ac languidus, lingua vt plurimum areſacta, anhelitus tetri odoris, & intra os intuentibus, modo color eryſipelatis modo herpetis apparet, vrinæ aliæ turbulentæ, & lividæ redduntur, atque hæ ſæpius, aliæ vero pluſquam natura poſtulat, aquoſiores, dilutioreſque ſunt, aliorum, ſed rarius exquiſite naturalibus ſimiles ſunt; colore & craſſitudine; interdum valde bilioſæ, modo nigricantes cum ſubſidentiis depravatiſſimis: Sudores interdum valde fætent, alvi excrementa bilioſa graviter olent, in vniverſim quorundam excrementa omnia, lotia ſcilicet alvi dejectiones, ſudores ſputa anhelitus, propter inſignem putredinem fœdi ſunt odoris. Nam vt odor bonus coctionem denotat, ita fœtidus putredinem quæ coctioni adverſatur, teſte *Theophr.* 6. de cauſis plantarum. cap 15. & 17. Eſt autem putredo ſecundum *Ariſt.* 4 Meteor. corruptio in vnoquoq; humido propriæ & naturalis caliditatis ab adventitio calore: nam ingenitus cujuſque rei calor, rem ipſam conſervat, alienus corrumpit. Viſis ita in vniverſum putredinis cauſis, quæ mo-

morbos procreare ſolent, quotieſcunq; harum aliqua, vel omnes concurrerint, iis obviandum, mature erit: Nam ſero medicina paratur. Cum mala per longas invaluere moras. Aeris itaq; intemperies propria ignibus frequentioribus eſt emendanda, prout olim *Acron Agrigentius*, ac *Hipp.* per vrbem Athenienſem feciſſe feruntur: tum adventitia eſt amovenda quantum fieri poteſt, aquas ſtagnantes fluxiles reddendo, cadavera mortua ſepeliendo, vias, vicos, ac angiportus, omni fœda colluvie purgando, vitioſa & impura alimenta vitando, tum aquam bonam eligendo; id eſt, quæ omni advena qualitate caret, ſapore viz. odore, colore, quæ bibentibus jucunda, cujus facilis ex ventriculo, præcordiiſque diſcenſus, cito incaleſcens, ac infrigeſcens; omnia quæ per illam elixantur facile excoquens: nullo veneno, limoſoque corpuſculo commixta, ſed quæ nitidiſſima & pellucida cernitur, æſtate gelida hieme admodum tepida, peſtilentia vero graſſante, feneſtræ domus ad Orientem & Septentrionem pandantur, ad auſtrum vero, & occaſum claudantur, cubiculum ſuffiatur ex thure, foliis iuri, aliiſq; quorum ſuffitus aerem corrigit; ſum minus aqua, tantillo aceto permixta laventur, ſpongiola aceto imbuta, quæ frequenter oderetur, capſulæ includatur, ac mane prodituri, ſumant ex hoc elect. ad jug'andis magnitudinem. Bol. armen. aqua ſcabioſ. lotæ vnc. 1. flor.

nymph

nymph. & bugloſſ. condit. vtriuſque vnc. I I. cortc. citri. & flor. roſ. condit vtriuſque vnc. I. cinam. dràch. ſemin. citri à cortic. purgati. margarit. corall. rubri. ſingulorum drag. I. ambr. ſcrup. I I. Camph. ſcrup. I. miſceantur cum ſucco mali citrei aut punici.

Sed quia cauſæ externæ niſi concurrentibus internis morbos non gignunt: Aeris enim intemperies quantumvis valida, niſi corpus humoribus vitioſis repletum, putredini obnoxium reddatur, non inficit:proxima itaq; cura ſit,cauſas omnes internas removere; quod vt fiat, ſequentes canones erunt ſervandi.

1. Canon. Singulis annis corpus phlebotomia, & catharſi eſt vacuandum, primo vere habita ratione ætatis ac virium: Nam ob hiemis ingluviem, & frigoris antiperiſtaſin corpus Cacochimia laborans facile in morbos incidit.

2 Canon. Corpore rite ita purgato, ne nova mole (quod facile fit ob naturam debilitatam, quodammodo præcedentibus evacuationibus) opprimatur, languida ejus vis, omnis in quolibet exceſſus erit fugiendus..

3 Canon. Sit ſomnus ſeptem ad ſummum horarum, nam hoc temporis ſpatio digeſtio abſolvitur: diuturnior autem, varia corpori adfert incommoda, I. excrementorum probibet evacuationem: Nam ſiſtit omnem fluxum, teſte *Hipp.* præter fluxum ſudoris, quia omnem tollit mo-

motum obſtructis meatibus, quibus ſpiritus animalis deferuntur ad membra movenda: hic autem per motum intelligere oportet motum animalem ſeu voluntarium, non vero naturalem, qualis eſt cordis, & arteriarum, tum venarum, ac partium omnium naturalium, quæ vi caloris attrahunt, vi humiditatis digerunt, ſiccitatis vi retinent, & frigiditatis expellunt; neve motum mixtũ, qualis pulmonum qui animalis eſt ratione organorum, muſculorum ſcilicet thoracem diſtẽdentium & contrahentium, naturalis vero, ratione cauſæ finalis & neceſſitatis. Quod de noctambulonibus objectant aliqui, intelligere oportet, vt iis reſpondeatur dormientis imaginationem eſſe validam admodum, quia repugnantem non habet, rationem vt videre eſt in ijs, qui lumbricos patiuntur, nam licet interdiu vt noctu ſentiant mordicantes non tamen maſticant, & in iis qui Venereæ cogitationi intenti ſemen eiaculant noctu, cum a validiſſima imaginatione interdiu hoc non fiat. Eadem Noctambulonum ratio, imperat enim motum fortis eorum imaginatio, ac obſequuntur muſculi ob portionem aliquam ſpiritus animalis in iis latentem. Obſervandum eſt hæc fieri cum cerebrum profundo ſomno non tenetur, ac ita liberis internis ſenſoriis, externis adhuc præpeditis, prout in ſecundo ſomno frequentiſſime fit, in quo prædicta eveniunt. 2. Longior ſomnus corpora incraſſat propter affluxus copiam & effluxus inopiam.

am. 3. Corpora quodammodo enervat, ac languida reddit ob desuetudinem non aliter quam tenebræ visum occæcant, prout in incarceratis diu tenebroso carcere dum ad lucem repentè ducuntur videre est. 4. Concentratus diu calor naturalis absumpto pabulo proprio agit in humidum naturale, ac depopulatur, inde corpora marcescunt.

4 Can. Amoto somno aliquam moram in lecto contrahite, donec spiritibus ad oculos patuerit aditus, remota omni obstructione: non enim tutum est tenellos statim aeri & lumini exponere, aversantur enim ob nervi optici impeditum meatum.

5 Canon.

Vbi surrexeritis corpus omnibus excrementis exonerate, caput sternutatoriis, & masticatoriis, ab omni pituita mundate, tum quos necotianæ desiderium tenet hoc tempore vtantur: est autem tobacco, temperie calida, sicca, pituitosis: itaque solum conveniens, Pirrocholis, & Melancholicis, quia exsiccat, nocens (nisi vbi caput a nimiis crapulis multa pituita repletum fuerit) Cœlo humido, tum mane ante egressum & vesperi ante cænam vtendus, non autem à cibo vt plurimi. 1. quia calorem a stomacho in corporis habitum avocat, vt ex erumpente sudore apparet, ac ita digestionem impedit, tum ob eandem rationem obstructiones parit, corporis enim extrema calidiora facta, succum nondum concoctum per exiles venarum meatus ad se al-

allicium, vnde in ipsis tubis hæret, caloris enim proprium est attrahere. 2. Pituitæ in stomachum procurat discensum, ac ita illum vel crudiorem, facit ab ejusdem frigiditate, vel diarrhæam movet: non enim potest pituita ita accurate in os derivari. quin portio aliqua per patentes illos Æsophagi ductus in stomachum illabatur. 3. Vomitum quibusdam frequenter ciet, dum orificium stomachi superius acutissimi ad modum sensus mordicat, sua acremonia, quod dicant aliqui sumptum a cœna tobacco somnum procurare, vt iis respondeatur: scire oportet quid somnus. Est itaque somnus primi sensorii quies, ad quem tria requiruntur, mens scilicet quieta (ita cura ob cordis solliciti motum calorem excitans, quo sopris materia dissipatur eum impedit) cerebrum temperatum, ita vt sit naturalis) nam veternosos sopores hic non intelligo) tum dulcis anathymiasis, seu halitus cibi vaporosus, cerebrum leviter irrigans, & meatus spirituum obstruens. Somnus naturalis ab agente natura prodit, ad corporis vtilitatem, cujus causa est anima, spiritus animales retrahens, eorum reparationem, & alimenti confectionem instituens. Præternaturalis vero, est qui noxam adfert, & à patiente natura fit, cujus causa est humor frigidus per cerebrum dissipatus, delationem inhibens. His præmissis respondeatur non proprie somnum,

num, sed soporem, liquata vi caloris per cerebrum pituita, flatus quibusdam interdum movet, sed verendum est, ne flatus movendo, cibi fluctuationem, & interdum eiusdem vomitum procuret. Hæc obiter addidi ob herbæ huius frequentem abusum.

6. Canon.

Sacris peractis, vbi artifices & negotiantes ad sua munia se receperint, inertes & otiantes ad ludos, & exercitia se conferant, quæ balneorum antiquorum locum suppleant, ac ita ad ludos sudorem moventes, quibus habitus corporis serosis humoribus, vacuetur. In quibus exercitiis varia erunt observanda.

1. Sit animus liber ab omni cura & metu, nullo aut exiguo deposito præmio: secus nulla sequetur voluptas, & ita nulla recreatio.

2. Sit lusus ad sudorem tantum, vel paulo vltra, longior enim spiritus resolvendo corpus fatigat.

3. Premente siti sit potus cerevisia tenuis, ac pura, parca manu sumpta. Non aqua quia per patentes præ calore meatus, viam ad hepar affectans, illud infrigidabit, cuius infrigidationem, sequitur vt plurimum hydrops. Neque vinum, quia celeriter viarum anfractus permeans hepar iam incalescens, inflamabit.

4. Finitis exercitiis: cura sit in cubiculo calido linteolis calidis sudorem detergere. Nam retentur

tus sudor cutis spiracula occludens, febrem frequenter causat: tum pruritui, scabiei, pustulis, aliisq; intercutaneis morbis materiam præbet.

7. Canon.

Cibum ante potum mane sumite. Vacuo enim ventriculo sumptus potus nervorum principia attingens ipsos nervos debilitat, morbisq; frigidis (vt arthrytidi & tremori) obnoxios facit. Hinc igitur patere potest, quantum noceat potus sine pane (mane præsertim) sumptus.

8. Canon.

Sub horam vndecimam (antequam Sol in meridie vigorem exeruerit, corporaq; lassa reddiderit) postulante appetitu, mensæ accumbite, vno sive altero ferculo contenti. Eduliorum varietatem corpori valde nocivam fugite.

1. Quia multa varietas miscet eupepta dyspeptis mollia duris. Quam varietatem sequitur putredo. Nam multa mixtio multæ putredinis causa est, prout simplicitas putredini adversatur.

Hinc elementa, metallaque eo quod simplicia, vel eo proxime accedunt, quodammodo immortalia sunt, cum semen & lac extremam elaborationem consequuta, vel aeris contactu vitientur: & quanto fuerint delicatiora, eo pejora, nam optima quæque in pessima transmutantur.

2 Varietas magna ingluviem fœdam excitat. Intemperiem enim ventriculi a copia cibi cujusvis contractam, sequens adversa qualitas emendet

mendet, in qua emendatione ſuavitas omnis continetur, a ſuavitate fames renovatur. Itaq; poſt carnium pinguium vſum, quem ſequitur ventriculi laxitas nauſeave, veteris caſei exſiccatio oblectat. Poſt piſcium lentorem, incidentia mel & nuces. Poſt ſalſi exſiccationem, diluti vini potus.

His adde quod exceſſus omnium fere ſaporum, pungendo ſtimulat ventriculum, excitatque appetitum: ita vno alimento aſſuetus ventriculus jam non irritatur, accedens autem ſaporis novitas ſopitam appetentiam exſuſcitat.

Diſtribuuntur alimenta in ſemina, fructus, olera, radices, piſces, & aves. Inter quæ ſemina abundant melancholia, ob copiam terræ: & fere etiam flatu, ob paucam coctionem, quia ex elementis immediate prodierunt (debilis autem coctio flatus multiplicat vt plena diſſipat) ſola fere frumentacea ob multam ſub terra moram vt tempore flatulentiam amittant, incolumia ſunt. Fructus vltra coctionem paucam abundant aqueo humore, & magis præcoces: ob paucam ſub ſole moram. Incolumiores ſunt autumnales ob moram diuturniorem, vt ficus & uvæ.

Olera videntur tanto fructibus deteriora, quanto natura minorem habet curam foliorum quam fructuum.

Radices quia non perflatæ nec exſiccatæ, hu-

more multo pollent.

Quadrupedes ob exercitii paucitatem excrementitia humiditate circumfluunt.

Pisces & aves omnium maxime cocta sunt, eo quod per multas intermedias coctiones ex elementis evaserunt optimum alimentum homini mixtorum vltimo.

Aves enim ob temperamenti siccitatem, & coctionis probitatem, etiam feminæ subventanea ponunt ova, licet vitalia non sine mare.

Inter aves, optima est caro pullorum, perdicum, caponum, & gallinarum, aviumque campestrium.

Aves enim pallustres, vt anseres, annates, ob impurum victum, & terrestrem, tardæ sunt digestionis, & mali succi: tum etiam ob frequentem in aquis conversationem humiditate multa superflua circumfluunt.

Pisces præsertim sexatiles plurium nutriunt, modo corpus non sit immundum secundum vasa, nec misceantur alimentis tarde coctilibus.

Hinc Monachi Carthusiani perpetuo piscibus vtentes, nec carnem interponentes sanæ admodum, & pingues sunt. Hinc igitur patet quam futilis eorum opinio sit, qui pisces annumerandos cibariis humano generi aptis non censent: Quandoquidem ipse CHRISTUS convivium illud miraculosum in deserto ex piscibus confecerit.

Eadem

Eadem in lactis vſu norma eſt ſervanda. Lac enim in corpore mundo, & vbi non admiſcen tur alia cibaria plurimum nutrit, prout in infantibus lacte ſolo vtentibus videre eſt: Cum vero tarde coctilibus alimentis permiſcetur, (quia ipſum eſt facilis digeſtionis) corrumpitur.

Hinc igitur patet quantum noceat vſus lactis (vt ita dicam) aromatizati, inter epulas ſecunda menſa ſumpti. Nam eo putreſcente commixta alia alimenta etiam putreſcunt.

Inter quadrupedum carnes optima hædina, vitulina, agnina: caro vero bubula ſalita, & porcina, tum etiam leporina, cervina impurum & melancholicum ſuccum generat, alias carnes tanquam minus vſitatas prætereo.

Carnes natura duræ per hiemem 12 horas ſervandæ, per æſtatem ſeptem, alioque recentes edendæ.

Inter olera vſitatiora, præſtantiora ſunt hæc, oxalis, ſpinatia, burrago: Braſſica nimis apud nos vſitata malum ſuccum ac nitroſum generat, ſtomachoque ac viſui nocet.

Herbæ potiores ſunt lactuca, portulaca, fœniculum, ſalvia, mentha, pimpinella, petroſelinum quæ apud nos in frequentiori ſunt vſu. Porrorum & cæparum frequentem vſum tanquam nocivum tum capite & oculis, tum ſtomacho & oſculis improbo.

Fructuum optimi ſunt reſinæ, paſſulæ dulces

ces; & ex his damaſcenæ, & Corintheæ. Tum ficus præſertim aridi & ſicci, maturique, ſed nimius eorum vſus pediculos generat.

Pomorum alia aſpera quæ proſunt cum ſtomachus debilitatur calore, aut humore. Alia acria, quæ juvant incidendo vbi humorum craſſorum in ſtomacho eſt collectio. Poma viridia mala, quia difficilis digeſtionis, ac tardæ diſtributionis, malique nutrimenti ſunt.

Pira ob adſtrictionem ſtomacho proſunt, deſiccant, paulumque nutriunt.

Citri cutis externa calida eſt, jus vero refrigerat, & exſiccat, caro vero nec acris nec dulcis, ſed mediæ qualitatis eſt. Granum autem eſt amarum, calidum, ſiccativum, ac ita venenis reſtiſtit. Limones ejuſdem facultatis cum citro ſunt.

Cappares ſunt ſubtilium partium, & pauci nutrimenti, a ſale purificati prima menſa cum oleo & aceto ſumpti opilationes aperiunt.

Olivæ virides bonæ, ſtomachum enim roborant: maturæ nocent.

Nuces ſeu juglandes ſiccæ, (quales ad nos deferuntur) capiti nocent, bilem generant, & mali digeruntur.

Caſtaneæ magis nutriunt, ſed difficilius digeruntur.

Ceraſa cito putreſcunt, & mali ſucci ſunt.

Fructus hic tam exoticos, quam noſtrates vſi-

vſitatiores tantum commemoravi, eorumque qualitates cognitu neceſſarias.

Inter ſemina optimum eſt hordeum mundatum, nam & nutrit, & ſanguinem purum gignit. Huic triticum bonitate ſuccedit. Oriza mediocriter nutrit cum adſtrictione quadam.

Avenæ major apud nos vſus, quam ejus bonitas poſtulat. Piſa ac fabæ flatulentum ſuccum & vitioſum generat, præſertim vero ex his viridia. Omnia paſtilia quia tardæ digeſtionis, omnia ſalſa, quia vitioſi humoris, omnia frixa quia putredinis(vt ex virolento ructu ab eorum nimio vſu patet) & omnia piperata (præſertim ſecunda menſa ſumpta) cauſæ exiſtunt, vitanda.

Sit panis ex tritico craſſæ ſubſtantiæ ac firmæ, flavi coloris, ac boni odoris, in loco bene a pluviis munito aliquamdiu ſervato.

Sit potus, cervifia tenuis, ac pura, parca manu ſumpta, vt diſcendat, miſceaturq; cibus, non vt innatet aut fluctuet. Eædem regulæ in vſu zythi erunt ſervandæ.

Qui autem crudiore ſunt ſtomacho, ac vino aſſveti, utantur vino rubro aliquantulum lymphato, quod auſteritate orificium ſtomachi conſtringat, ac ita concoctionem juvet: eius vero frequentior ſit uſus hyeme quam æſtate, & poſt piſcium quam carnium eſum.

Præterea qui debilioris ſunt ſtomachi ad flatus diſſipandos & coctionem juvandam, vtantur pul-

vere

vere ſequenti ex cochleari paulo ante cibum, & poſt, cum a cibo ſumitur, nihil deſuper bibatur.

R. ſemin. aniſi fœnic. & coriand. ſingulorum dra. iii. pulver. margarit. præparat. raſuræ cornu cervi, macis cynam. pulver. pleriſarcont: & pulver. electuar: aromat: roſat: ſingul: dra. i: cortic: citri ſicci pulverizat: dra. i. ſacchar. albi pulveriz: ad pondus omnium miſce ſiat pulv. de quo capiat coclear, vnum aut duo poſt ſingulos paſtus nihil deſuper edendo aut bibendo.

Hoc utantur pulvere loco aquarum fortium, nimium uſitatarum: Aqua enim fortis, prout etiam vinum album a cibo ſumpta nocent, nam celeriter præ tenuitate, vi, ac calore per cibum ingeſtum ac tenues meſaraicarum venarum meatus permeant, ſecumq; chylum non ſatis mitificatum deducunt, quo exiles venarum tubos inſarciunt. Præterea liquores hi jecur calidius reddunt. Quocirca perperam faciunt qui hiſce ad ſtomachum infrigidatum utuntur, Nam nec ſtomachum calefaciunt, quia cito prætérlabuntur (præ tenuitate) & tamen jecur calidius reddunt; quo incaleſcente ſtomachus infrigidatur: Ita vt plerumque ſi mutuo conſequantur ſtomachus frigidus & hepar calidum. Hepar enim calidius præ ſiccitate & calore carnem illam adipoſam, epiploon ſcilicet abſumit quo nudatus ventriculus (cum fundo innatet inſtar tegumenti) infrigidatur.

Itaq; omnibus ſuaderem qui intemperie frigida ventri-

ventriculi laborant, vt loco prædictorum liquorum uterentur pipere craſſe pulverizato cuius grana integra devorarent. Piper enim ita pulverizatum ſuas vires in ſtomacho exerit, (nam calor eius in ſuperficie ſitus eſt) quo incaleſcit ſtomachus hepate illæſo.

9. Canon.

Cum appetitu a menſa recedite, nuſquam enim ad ſatietatem edere licet, ſed tantum vt ſatisfiat appetitui naturali.

Eſt enim appetitus triplex, vitioſus, naturalis & voluptuoſus.

Vitioſus fit a vitioſo humore orificio ſtomachi adhærente, illudque corrugante, vnde appetitus nimius exoritur.

Fit aliquando ab immodico & importuno melancholiæ in ſtomachum è liene refluxu. Nam lien ſucco melancholico repletus evomit portionem aliquam ejuſdem in ſtomachum: à quo ſucco corrugatus ventriculus excitatur fames.

Cum autem immoderate aut inoportune fluxerit, vt nonnunquam ſtatim à cibo, vel paulo poſt fit, renovatur fames. Hinc fit quod nonnulli itinerantes herbis innocuis (vt illi vocant famelicis) vitio vertant.

Excitatur aliquando ille appetitus ab aquæ vſu nimio: aqua vorax, vigiliaque, vt ait *Hipp.* Aliquando à longa per nives itineratione, vt exercitibus quibuſdam accidiſſe ſatis conſtat.

Appeti-

Appetitus naturalis est qui fit à lancinatione orificii superioris stomachi, aut venæ coronariæ in eo, à venis corporis exinanitis.

Appetitus voluptuosus fit ex recordatione antea*ti saporis palatum pungentis, ac voluptatem moventis. Iuxta appetitum naturalem temperato quantum appetit offerendum, frigido minus calido plus, quia calor omnis relaxat ventriculum, ac ita appetitum tollit: hinc est quod obtusus biliosorum ac calidorum appetitus non tantum expostulet, quantum requiritur alimenti, ad caloris acrimoniam obtundendam ne humidum radicale depopuletur: Ideo plus illis offeratur, quam appetunt.

Pituitosi autem plus appetunt a pituitæ frigiditate quam præ caloris imbecillitate conficere valent:

10 Can.

A prandio per horas aliquot gratis collatiobus indulgete, ab omnique cura graviore solutis meditationibus, aut labore intentiore abstinete, tum a studiis quæ meditationem altiorem requirunt. Hisce enim omnibus avocatur calor a stomacho ad cerebrum seu corporis habitum: vnde sequitur cruditas & cruditatem cachexia totius corporis. Hinc etiam est quod studiosorum capita a cruditate ventriculi, vt plurimum sunt infirma, quia vaporibus frigidis e ventriculo sublatis, replentur, & frigido succo aluntur,

aluntur, quo fit quod frigidis catarris obnoxia reddantur. Renovati labores artifici statim a cibo graves obstructiones pariunt, in mesenterio ac hepate.

11 Can.

Somnum & compotationes pomeridianas fugite, somnum, quia caput vaporibus replet; quos ob temporis brevitatem non licet naturæ discutere. Huic enim operi secundo somno intenta est, tum etiam reparationi spirituum animalium. Hoc in ipsis videre licet, qui antequam perfectam dormiendi metam attigerint, excitantur, qui tum præ capitis gravitate, tum virium imbecillitate minus agiles evadunt Post, quam ante somnum. A capitis repletione sequuntur defluxus in varias corporis partes, præsertim setinæ illæ distillationes in pulmones, a quibus (vt alios prætercam morbos) tam frequenter tantus tussientium strepitus passim exauditur. Compotationem autem quia cibi ingesti concoctionem impedit, & subsequentis appetentiam tollit: Hinc nusquam perfecta digestio, ita cruditatibus totum corpus circumfluit: Nam cum coctio sit victoria naturæ supra humidum quod secundum plurimum sui alit: Cruditas autem a defectu caloris in ordine ad humidum permiscendum fiat, cum scilicet humidum debitum terminum non acquirit, sed flatulentum manet: dum natura, vel nova ingestione præpeditur, vel

vel graviore mole opprimitur, victoriam obtinere nequit. Vitiata coctione nulla ſequitur nutritio: nam nutritio eſt alimenti cocti mutatio in membrum: membra autem vitioſum ſuccum aut prolectare, aut in ſui naturam vertere nequiunt. Hinc membra contabeſcentia videbis tumentibus ſanguine venis, Hoc innuit divus ſenex, dum ait, qui ventres habent calidos, carnes habent frigidas. Ventriculus enim exæſtuans, chylum gignit nidorulentum, & ſemi putrem, ex prava chyloſi non fit laudabilis hæmatoſis, impurum ſanguinem carnes non trahunt, ita ſuo genio, & vivifico nectare defraudatæ, refrigerantur; quia tantum habemus caloris, quantum ſanguinis. Vitiata prima coctione, ſequitur & aliarum vitium: non enim corrigit defectum præcedentis, ſubſequens coctio; ipſo potius inquinatur a præcedente: hoc innuit *Hipp.* his verbis, Quo plus corpora impura alantur, plus læduntur.

12. Canon.

Sub horam ſextam renoventur dapes urgente appetitu vt prius.

Conſtet cœna aſſis potius quam elixis, quia aſſa potentius alunt elixis, propterea quod nil remittint per concoctionem alentis ſucci tum leviora ſunt quia humore excrementitio minus abundant. Adde quod concoctu faciliora eo quod paſſiva in illis elementa impenſius mixta ſint, idcirco

dige-

digestioni nocturnæ magis apta.

Sed quæri potest cum calor naturalis noctu concentretur ac uniatur, ab vnione major eius vis qui fit quod nocturna digestio non adeo dura imo difficiliora concoctu diurna, requirat. Respondetur ad concoctionem satis esse caloris vim unitam, non vero ad digestionem. Nam digestio requirit cibi discensum in fundum ventriculi aliaq; loca coctioni dicata, qui discensus motu procuratur. Adde quod motus & exercitatio trium substantiarum aereæ scilicet humidæ & solidæ dissipationem causat quæ dissipatio requiritur ad celerem digestionem, partes solidæ famelicæ succum e venis capillaribus prolectant: venæ capillares exinanitæ e venis majoribus alliciunt, venæ majores ab hepate hepar per venam portam tanquam manum ex ventriculo & intestinis. Hac serie exsuctionis vacuatur ventriculus ac mole cibi gravante liberatur, tum appetitus renovatur. Hoc apparet in animalculis quibusdam totam hyemem dormientibus, ideoq; quiescentibus vt gliribus: hoc enim animantium genus omni motu & exercitio privatum nullam dissipationem trium substantiarum patitur, nulla egent idcirco reparatione, atque ita nullum alimentum requirunt: exiguus autem eorum calor, pituita prius congesta, pro alimento utitur.

13. Canon.

Ad accelerandã itaq; digestionem a cœna leviter inambulate, vel domi, vel per amœna loca a tetris cloaca-

cloacarum eructationibus, aut fædis aquarum stagnantium exhalationibus libera. Incessum celeriorem aut exercitia ulla fugite, tum commessationes nocturnas: quæ præter morborum numerum innumerum quibus corpus adjiciunt crapulæ (quales Vertigo, Apoplexia, Epilepsia, Lethargia Caros, Catalepsis, Paralysis, variique alii ab inordinatis potationibus oriundi) corporis temperiem mutando, facultatum animæ vires obtundunt. Licet anima ex se sit immaterialis, impatibilis, neque ex potentia subjecti educatur, sed in illud perficiat: resque incorporeas ab omni materia se junctas, sese super omnes formas naturales erigens mirifica prorsusque libera & cogi nescia vi complectatur: & licet non sit pars cerebri, quia tamen rerum idola in cerebro contemplatur, eo vitiato, delirat, quemadmodum oculus solem contemplans in quiescente aqua, vel integro speculo non fallitur: eundem vero in mota aqua vel fracto speculo considerans, hallucinatur.

Est igitur odio irreconciliabili dignum, inextinguibile hoc potandi desiderium, quod hominem, tum corporis viribus, tum animæ facultatibus denudet. Hominem inquam! cui cœlestes in esse igniculos, seminaque divinitatis, cum faciei impressa majestas, tum corporis totius figura erecta, & in Cœlum versa testantur. Hominem animal adorandum, & admirandum, a sapientissimis Ægyptiorum sacerdotibus vocatum. Nam

a Mercurio trimegisto miraculum magnum, ac animal DEO simillimum, Deorumque interpretem appellatum. A Pythagora μετρον απαντων, a Platone θαυμα θαυματων, a Synesio orizontem corporeorum & incorporeorum; & ab omnibus vno consensu μικροκοσμον nuncupatum. Barbarus ille *Abdolas*, interrogatus aliquando, quid maxime in rerum natura putaret admirabile: non barbare sed scienter respondisse fertur, hominem vnum esse qui admirationem omnem superet.

Theologi hominem, omnem creaturam vocant, quod sit potestate omnia, non secundum materiam, vt volebat *Empedocles*, sed αναλογικως per specierum receptionem.

Præter prædicta incommoda prolificationi (cui tantum student homines, vt æternitatem quodammodo consequantur) bibacitas nocet, cruditate seminis. Sequitur enim semen naturam & temperiem sanguinis: hoc clarius elucescit, cognita seminis materia. Est itaq; seminis materia duplex, residuum alimenti vltimi, & spiritus. Residuum illud sanguis est non in solidis partibus alteratus, & dealbatus, (vt putarunt veteres) sed ruber, purus, & sincerus, a trunco venæ cavæ, per sparmaticas venas, ad præparantia vasa, & testes delatus. Propterea iis qui supra modum rei Venereæ indulgent, cruentum prodit semen, idcirco veteres cognatos appellabant consanguineos: Est altera semin

mate

materia, quæ facit vt fæcunda ſint ſemiua, ſpiritus ſcilicet per vniverſum corpus oberrantes, qui ſingularum partium ipſiſſimam idæam δυναμει continentes, per arterias ſpermaticas ad vaſa labyrinthea, epididymida & teſtes feruntur ibi, cum ſanguine exquiſite miſcentur; Hinc colligi poteſt ſemen crudum a ſanguine crudo produci, quandoquidem vt ex præcedentibus patet præcedentis coctionis vitium ſubſequens non emendat.

14. Canon.

Sub horam decimam ubi ventriculus graviore mole levatus fuerit, cubitum ite.

In introitu lecti in dextrum latus inclinate, ne refluat cibus, ſed in ventriculi fundo digeſtionis ſede maneat: ſitum enim in dextero latere eſt ejus fundum, prout vergit verſus ſiniſtrum eius orificium ſuperius.

Sit caput declive, membris aliis depreſſis.

Sit lectus plumaceus hyeme, æſtate vero ſtramineus, præſertim illis qui cruciantur dolore renum, ad renes refrigerandos.

15. Canon.

Finito primo ſomno, in ſiniſtrum latus vos vertite: vt fiat vaporum exhalatio per Æſophagi angiportus. qui poſt primam concoctionem in ſtomacho ſtabulabantur.

16, Canon

Sub finem hujus ſomni, œſtro libidinis perciti,

inamplexus Venereos ruite.

Est enim hoc tempus coitui maxime idoneum, tum quia semen ex reliquiis vltimi alimenti; finita tertia concoctione est elaboratum, cum quia vacuo ventriculo fit, nam pleno ventriculo ciborum agitatione concoctionem impedit, & membrorum motu,& calore, obstruit. hoc tempore semen esse elaboratum docent fœdæ somniantium illusiones, quæ proveniunt a calida reflexione, aut exhalatione prolifici seminis cerebrum feriente, ac idola speciosa imaginationi obiectante tumentibus nimirum spermate parastatis: hinc est quod rustici in introitu lecti fatigati somnum capescentes & debitam coitus horam morantes,puellos robustos,& puellas viragines gignāt: cum quāplurimi nobiles, & cives propemodum omnes vino & aromaticis incalescentes, quamprimum erexerit aures Pamphilus, Priapi hastam vibrantes, victoriæ spe prætumidi, certamen ineunt, tum effætis viribus, aut nullum aut crudum ejaculant semen, hinc nulla procreatio, aut si fuerit vlla, debiles & languidi sunt partus.

Prædictis Canonibus quædam observatu digna sunt annectenda.

1. Obser.

Hieme cibo magis indulgere licet quam æstate, vt ait *Hipp.* frequentius tamen æstate ob magnam dissolutionem, sed parcius ob caloris debilitatem. Rationem reddit alibi idem author,

prædicti dogmatis, quia inquit, insignes vacuitates sunt calidiores; vbi intelligere oportet calorem per antiperistasin hieme augeri secundum quantitatem, non vero secundum qualitatem: ita hiems pituitæ est feracissima: æstate autem diminuitur quantitas aucta qualitate; ita æstas bile abundat, verum calor plus remittit hieme de qualitate, quam assumit de quantitate ita convalescentes, & senes hieme non roborantur.

2. Obser.

Sæpius cibandi pueri, & adolescentes, senibus, & mediæ ætatis hominibus.

Pueri, ac juvenes sæpe cibandi, quia dissipabile eorum corpus ob vim calidi innati qua circumfluunt, tum materiæ subtilitate, meatuum libertate, ac naturæ ratione, sunt enim picrocholi. Pueri sunt calidiores adolescentibus ratione substantiæ, quia multo pollent humido radicali, quo obtunditur caloris vis: humidis igitur, ac facile coctilibus sunt alendi, nam calida nimium & dura ob caloris vim, sopitam digerere nequiunt; Omnia itaque aromatica pastilia salsa, omnesque liquores calidi natura, iis nocent. Iuvenes calidiores sunt pueris, quo ad ἐνέργειαν: absumpto enim proprio pabulo, sensim vires exerit calor, non aliter quam lumen in lucerna clarius resplendet oleo decrescente aut diminuto, quam vbi vndique ab eo circumsepitur. Iuvenibus humida prosunt, quia acri

acrimoniam caloris obtundunt, ac humidi radicalis depopulationem impediunt. Calida autem nocent, quia tum exſiccant, cum etiam calorem naturalem in igneum aliquando vertunt; quod apparet ex facili eorum in morbos calidos lapſu, vt in febres.

Homines mediæ ætatis ob obtuſam in iis caloris vim, & ad temperiem redactam, famem facile ferunt. Qui ætate media ſunt omnium maxime temperati cenſendi: nam infantes, & pueri ob multam humidi primigenii copiam qua circumfluunt, ad humidam temperiem declinant.

Adoleſcentes vero ob caloris ἐνεργείας pabulo depaſto calidiores ſunt. Senes ob copiam pituitæ a debili calore procreatæ ſunt temperie frigida humida. Qui in declinante ſtatu ſunt homines, marceſcente in iis calore præ inopia humidi, prius ab eo depaſti, ſunt temperie frigida ſicca. Omnium igitur temperatiſſimi, ob moderationem primarum qualitatum; temperatis ita erunt alendi. Senes ob caloris debilitatem, & pituitæ copiam (qua vtitur pro alimento exili eorum calor) facillime omnium ſine vllo incommodo inediam patiuntur. Ob frigiditatem & humiditatem calidis ſiccis, vt aromaticis, & liquoribus fortioribus juvantur: hinc eſt quod vinum lac ſenum dicatur. Alii vero, iis, (quia exſiccant) læduntur: licet pro tempore agiliores & acutiores ab eorum vſu evadere videantur.

rum

rum hic non aliter fit quam in arbore, cujus radici appofita calx fructiferam aliquamdiu reddit, præ ficcitate brevi infrugifera evafuram.

Paucis perftrinxi quæ ad fanitatem fervandam, & morbos propulfandos, conferre videbantur, ne lectorem nimia prolixitate ab ejus lectura deterrerem: omnium enim in ore & manibus effe optarem, omnibufque in praxin redigere fuaderem. Brevitati ftudens, multa perfunctorie attigi, præfertim in cibariorum enumeranda varietate, eorumque qualitatibus defignandis. Initias hafce noftri laboris, patriæ devotas, benigno accipe vultu Lector benevole, finuque fove tenellum hunc, & prope vrfinum fœtum, a viperinis maleferiatorum hominum morfibus, & vulturinis vnguibus tuere. Et vbi Deus dederit, plura & elaboratiora in vfum publicum dabuntur. Huic vni trino Deo, Regi Regum potentiffimo, Domino Dominorum clementiffimo, omniumque patri benigniffimo, laus, honor, imperium in fæcula fæculorum,

Amen.

Finis.

